9

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS QUÆDAM DE DYSENTERIA, COMPLECTENS:

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

ET NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

FREDERICUS BROWN,

Anglus.

Morbos autem non eloquentia sed remediis curari. CELSUS.

Kalendis Augusti horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBAT ALEX. SMELLIE,

ACADEMIÆ TYPOGRAPHUS.

M,DCCCXIX.

GULIELMO BROWN, ARMIGERO,

PATRI SUO CARISSIMO,

ET AMICO OPTIMO,

SUMMA PIETATE

FREDERICUS BROWN, Fil.

Omni vinculo animi grati et pietatis tibi devinctus, cui dilectissime, præ te hoc pignus observantiæ reddere oportet, cujus desiderium semper fuit ut summa felicitate, inter artem quæ mihi arrisit colendam, fruerer.

Accipe, Domine, hoc testimonium animi grati, et tibi persuasum habeas, inter plurimas cogitationes jucundas quæ mihi jam voti compoti occurrunt, nullam esse majori voluptati quam ut hæc tuo nomine inscribere possim. Vivas et Valeas.

Calend. Augusti 1819.

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS

QUÆDAM

DE

DYSENTERIA

COMPLECTENS.

PROŒMIUM.

Inter morbos innumeros, qui genus humanum, vicissitudinibus cœli objectum, invadunt, nullus attentionem Medici Militaris, quam Dysenteria, magis potest vindicare. Num hunc morbum ut idiopathicum, vel cum morbis quibuscum tam sæpe conjungitur, existentem, perpenpendamus, num in forma pro rata parte mitiore, quam in nostra Britannia induit, vel in illo modo subito vehemente, quo in regionibus ca-

lidioribus accedit, eundem semper summi esse momenti oportet.

Plerique illorum, qui artem salutiferam in regionibus externis exercuerunt, præscripta summorum medicorum in omni ævo ad sistendum huic morbo gravissimo sævienti, haud valuisse doluerunt. Libros suos frustra inspiciunt, et classes purgantium, diaphoreticorum, astringentium, et mercurialium, instruunt, nimis sæpe ægro decumbenti et exhausto vehementia aucta morbi, adstare coguntur; tandem spes solum reliqua est mortem faciliorem reddendi, et symptomata morbi, quem tollere nequeunt, levandi.

Si hunc aspectum infaustum Dysenteria sæpe induit, plurima exempla existere, quibus indolem mitiorem præbet, gaudio est, cum habitus non confectos invadit, in quibus naturam plurimum valentem medicus adjuvando multum proficiet.

Consuetudo est hujus Academiæ almæ, postulare illos, gradum Doctoratus petentes, aliquid in lucem edere, quod scientiam suam posset comprobare. Huic legi obtemperans, de argumento, mihi quodammodo noto, quam rem seligere in qua nihil nisi observationes aliorum proferre potuerim, scribere mallem.

Inter hoc pensum fungendum, nihil novi me posse edere licet sperare. Quæ observare mihi accidit, medicorum militarium maxime insignium priorum tradita accuratissima fuisse comprobare, tantum valebant, easdem causas conjunctas, eosdem effectus in corpore humano, plerumque inducere.

Dum exercitui per quinque annos semper adfui, ex initio belli recentis memorabilis, in Hispania et Lusitania gesti, plurimi ægri Dysenteria laborantes mihi commissi fuerunt, et quia ipse hoc morbo insigniter affectus fui, symptomata ejusdem mihi bene fuerunt perspecta.

Exempla præcipua, postquam milites ex navibus in littus Lusitanicum exscenderant, mensibus autumnalibus, Augusti, Septembris, et Octobris, prodierunt, per quos exercitus juxta mare degebat, per diem ardoribus vehementibus, et per noctem roribus gravibus, subjectus, sine vestitu pleniore vel tentoriis tectus.

Sine his rebus enumeratis, causa vi satis pollens morbos solitos castrenses inducendi fortasse reperietur. His tamen præteritis, quædam localia visa fuerunt, quæ ad hos gignendos insigniter adjuvabant. Inter hæc imprimis in-

telligo fructus immaturos, ubique affatim sparsos, et aquam frigidissimam, in aquæductibus ex montibus delatam, et in receptaculis marmoreis per vias collectam, appetitum haud tolerandum, pulvere et fatigatione factum, satiandi facultatem præbentem, et indulgentiam inducentem, cui eventus infelicissimi nimis sæpe accesserunt.

DEFINITIO.

Hæc à Culleno celeberrimo verbis sequentibus traditur. "Pyrexia contagiosa, dejectiones frequentes mucosæ, vel sanguinolentæ, retentis plerumque fæcibus alvinis, tormina, tenesmus."

Signa hic memorata, ex illis in illo statu quo morbus a nobis conspectus est, in rebus sequentibus, differre visa sunt. Præcipue, pyrexia non contagiosa, nam in nosocomiis magnis factis in quibus ægri dysenterici cum illis operationem chirurgicam, &c. postulantibus, ex necessitate primo commisti fuerunt, post causas externas operari cessantes, morbus parum facile alios corripuit, et hoc observationibus omnium auctorum recentiorum convenire videtur.

HISTORIA MORBI.

Dysenteria nec ætati neque sexui parcere videtur. Infantia et senectus, æque ac ætas florens, in locis vi ejus faventibus positæ, ei sunt proclives.

Morbus in junioribus et plethoricis occurrens (et talia fuerunt exempla mihi oblata), cum signis sequentibus incipit, dolore capitis, vertigine, nausea, aliquando vomitu quo materia biliosa ejicitur, sensu gravitatis circa umbilicum, flatu, simul cum desiderio desidendi, quo dejectio plena materiæ acris aliquando colore viridi accedit, cui, morbo progrediente, plurimum muci sanguine tincti adjicitur, anxietate et desiderio alvum dejiciendi, adeo frequente ut fere perpetuum sit, cum parvis copiis muci, et aliquando sanguinis puri simul expulsis, frigore et calore alternantibus, quæ progressum denotabant. Cutis sicca et arida fit: frigus levissimum, externe admotum, tormina statim infert; et etiam conatus ad corpus erigendum cupiditatem dejiciendi extemplo inducit. Circiter hoc tempus, ægri ut in vale-

tudinarium acciperentur sæpe impetrarunt. Ano tumefacto et excoriato, irritabilitas nonnunquam vesicam adorta est, et cupiditas perpetua mingendi secuta est. Urinæ redditæ peculiaris fuit odor, et sedimentum copiosum et floccosum demissum fuit. Pulsus raro super nonaginta septem ascendit, et imminutus fuit, si aliquid levaminis cruciatuum ab ægro perceptum fuit; hinc argumentum, magis irritationi quam actioni alicujus febris specificæ morbum comitantis, tribuendum esse.

Morbo progrediente, aliquid materiæ induratæ, odore fœtidissimo, cum muco dejiceretur, et nulla signa dejectionis naturalis perstiterunt.

In multis ægris, quamvis sitis vehemens fuit, ex fluidis abstinuerunt, quia copiam utcunque parvam, et etiam nonnihil tepidam, symptomata gravissima statim induxisse, et, ut ipsi dixerunt, ex ore protinus ad anum transiisse, expertum fuit.

Si medicamenta nihil solatii præbuerunt, omnia signa morbi progredientis aucta fuerunt; dejectiones frequentiores fiebant, pauxillo muci et haud raro granis singulis sanguinis tunc dejectis. Gravis abdominis distensio, cum dolore sub

pressura minima, adfuit. Febris aucta, lingua sicca et vitrea, dentes incrustati fiebant. Sub vespere, symptomata ingravescebant, debilitas summa, aliquando vibices, pulsus exilis intermittens, sudores tenaces, mutationes vultus, singultus, convulsiones, et mors, tandem invaserunt.

Hoc modo morbus in quibusdam exemplis gravissimis, ex die decimo ad quintum decimum, interdum cursum suum persolvit.

In aliis exemplis, quibus remedia morbum levare visa sunt, ægri ex decem ad duodecim hebdomadas ægrotabant, debiliores evadentes, cum summo marcore, adeo ut pulsus arteriarum mesentericarum, manu abdomini applicata, frequentissimi accurate sentiri possent. In hoc stadio morbi, accessiones febris vespertinæ evidentiores fiebant, et sudores profusi et partiales accesserunt, donec post renixum magnum vires naturæ extinctæ fuerunt.

In alteris exemplis, iterum, quibus morbus lenior fuit, et medicamenta tempestive usurpata, dejectiones minus evaserunt frequentes, minus fuit doloris, cutis siccitas et ardor leniores factæ sunt, desiderium cibi rediit, dejectiones colorem

magis naturalem induerunt, et sanguine minus tinctæ fuerunt: haud raro materia tenuis biliosa globulos minutos aeris evolvens copiose dejecta fuit. Hæc convalescentia diuturna secuta est, per quam cibus imperfecte concoquebatur, tono ventriculi et viscerum per menses plurimos postea imminuto.

Per hoc stadium appetitus sæpe immodicus fit.

Hæc terminatio fausta haberi potest; sed nimis sæpe, præcipue in illis intemperantiæ ante deditis, vel ex commoratione longa in regionibus calidis, viscera quodammodo vitiata habentibus, conditio Lyenterica accedit, quam anasarca et emaciatio, quas constitutio non potest superare, comitantur.

Præter symptomata hic recensita, alia nonnunquam adesse par sit memorare, cujusmodi sunt aphthæ in ore et faucibus visæ, suppressio urinæ, respiratio difficilis, prolapsus ani, et etiam dejectio crustulorum recti et vermium. Quamvis anorexia plerumque Dysenteriæ adest, illam interdum abesse quoque licet observare.

SECTIO CADAVERUM.

Quia hic morbus in variis stadiis sæpe lethalis fuit, meum erat plurima cadavera inspicere. Cavitate abdominis aperta, quædam partes intestinorum inflammatione haud parva, aliquando usque ad tunicam peritoneam extendente, correptæ in lucem patefactæ sunt. Sæpe ingens fuit distensio vasorum sanguinem vehentium, et portiones lymphæ coagulabilis superficiem eorum tegere, cum adhæsionibus quarundam ex convolutionibus vicinis, observatæ fuerunt. Intestina crassiora, præcipue circa rectum et portionem coli descendentem, densata et contracta sæpe reperta fuerunt. Maculæ gangrænosæ, et in uno vel altero exemplo quo morbus cito finitus est, sphacelus insignis coli et recti, accesserunt. In exemplis Dysenteriæ provectioribus, et in illis qui morbo tarde succubuerunt, ulcera inferiorum intestinorum sæpe adfuerunt, et in uno casu, maculæ separatæ ulcerationis, totum decursum ejus occupantes, visæ sunt. Cæcum et ileum aëre plerumque distensa fuerunt, quæ incisa o-

dorem peculiarem, non describendum, sed nauseantem, exhibuerunt. Canali intestinorum aperto, abrasiones frequentes tunicæ internæ, sed intestinis crassioribus semper peculiares, sæpe visæ sunt: ille aspectus tuberculatus in superficie interna majorum intestinorum, ab Equite JOANNE PRINGLE descriptus, a se et Domino HEUSON conspectus, et ab hoc scabies intestinorum nuncupatus, non tamen mihi perceptus fuit: quamvis ob illum ab auctoribus nonnullis acerrimis sæpe memoratum, eundem sæpe existere non possum dubitare, et hunc vel non in illis cadaveribus a me inspectis adfuisse, vel sectiones meas non satis fuisse minutas, existimo.

In omnibus exemplis morbi quorum facultas mihi fuit inspiciendi, hepar plus minusve affectum semper reperi, hujus etiam mole idonea, et quod ad superficiem convexam externe sani substantia incisa, structura interna vitiata fuit. Aliquando, signa multa congestionis, inflammationis, indurationis, vel ulcerationis, quum primum illud viscus luci subjectum fuit, visa sunt. In uno exemplo abscessus satis insignis in centro, ut videretur lobi maximi detectus fuit, et hic apertus circiter octarium sani puris effudit.

Hoc verisimile ex casu ortum est, quia miles fuit legionis, in expeditione Egyptiaca occupatæ, in qua verisimile stipendium fecerat.

In uno vel altero exemplo, concretiones calculosæ per substantiam observatæ fuerunt.

Vesicula fellis bile sana nunquam impleta fuit. Hæc plerumque parca, et maxime viscida fuit.

DIAGNOSIS.

Dysenteria in forma sua gravissima accedente, vix fieri potest ut illa cum aliquo altero morbo confundatur. Anxietas molesta, magnum desiderium aliquid dejiciendi (quod utcunque parvum levamini sæpe est pro tempore) et aspectus muco-sanguinolentus hujus, diagnosin probe ostendit.

In formis mitioribus, diarrhæam, choleram, colicam, et hæmorrhoides, fortasse referat, et pro his sumatur. Signum diagnosticum ab initio, in diarrhæa, est absentia febris. Hanc tamen non semper diarrhææ exemplis gravibus abesse concedendum est; neque dejectionibus post hunc

aliquamdiu perstantem mucus deest; illa anxietas molesta, vel dolor sub pressu, quæ dysenteriam comitatur, vel ille fætor preculiaris dejectionum, vel tactus acris cutis, in diarrhæa tamen nunquam percepta fuerunt.

Ex cholera, vomitu, et dejectionibus copiosis materiæ biliosæ celeribus, in hoc morbo perceptis, dignosci potest. Ex colica dolore minus fixo, sub pressu magis aucto, et secretionibus alvinis pertinaciter retentis, in hoc morbo observatis, et ex hæmorrhoidibus, omnibus signis molestissimis absentibus, discerni potest.

CAUSÆ REMOTÆ.

Causæ remotæ Dysenteriæ in prædisponentes et excitantes dividi possunt.

Inter prædisponentes omnia sunt quæ vi corpus debilitandi pollent. Hujusmodi sunt exhaustio animi vel corporis fatigatione inducta, inebrietas frequens, venus nimia, diæta tenuis et prava, &c. &c.

Inter causas excitantes, tamen, recensere solemus, opinio quam experientia quotidiana com-

probat, aerem frigidum et humidum, corpori per diem calori ardenti subjecto, applicatum, ut fit dum aliquis aeri nocturno, per tempestatem autumnalem, objectus fuit; expositio ad miasmata paludum, et ad effluvia ex substantiis animalibus putridis, præcipue ex dejectionibus dysentericis, orientia.

Verisimile est, ut in aliis morbis, scientiam accuratam causæ remotæ dysenteriæ vix obtineri, et hunc ex statu peculiari corporis, tempore quo causa excitans admovetur, pendere posse. Ex quibusdam opusculis nuper editis, diæta, expositione ad frigus, &c. prorsus similibus, quædam exempla dysenteriæ et febris remittentis visa fuerunt, adeo ut ex sex casibus non potuit dici quis morbus induceretur.

In exemplis, quæ supra memoravi, causæ antea dictæ pleræque conjunctæ fuerunt: ad hæc dici potest transitionem celerrimam factam fuisse, ex coercione in navibus, cum diæta plena et exercitatione parva, ad ingentes conatus sub sole ardentissimo, et expositionem ad aërem nocturnum frigidissimum sine pluribus vestibus; quoque indulgentiam immodicam fructuum, et vinorum tenuium acidorum, illius partis Lusitaniæ

sequelam naturalem abundantiæ, ad dysenteriam inducendam haud parum valuisse visam fuisse.

A quibusdam auctoribus negatum fuit, fructus aliaque hunc morbum unquam gignere. Me judice, tamen, ab illis dicta tales indulgentias non inducturas esse conditionem irritabilem canalis intestinorum, et cuidam causæ excitanti fauturas, non comprobant.

Invenio quoque Dominum CLEGHORN dysenteriam, quæ in Minorca, Julio 1744, epidemica fiebat, causis similibus retulisse.

CAUSA PROXIMA.

De causa proxima dysenteriæ vix aliquid dicere possum; argumentum in multa caligine versari videtur.

Dr CULLEN hunc morbum ad constrictionem retulit; et nihil dubii est quin retentio in plurimis exemplis adsit. Hæc tamen sequela, non causa, videtur esse. In aliis morbis, ut in colica pictonum, vehementior adest; tamen nihil dysenteriæ inducitur, et aliquando alvus ad initium cum tantum sensu generali molestiæ ad

canalem intestinorum referendæ, plene dejicitur.

Idem de inflammatione et spasmo dici potest, neutra rationem plenam symptomatum morbi, cujus pro parte habenda sunt, reddent.

PROGNOSIS.

Ab illis, quibus hic morbus maxime fuit perspectus, quomodo ullam opinionem faustam instituent, fortasse multum cavebitur.

In cœlo nostro, ut accessiones sæpe sunt mitiores, et commoda atque auxilium sunt præsto, prognosis certe fausta est.

Sed inter tropicas, et imprimis in castris, expositio haud evitanda ad frigus per noctem, cum monitiones subitæ et molestæ naturæ, ægrum è lecto suo surgere cogunt, nutrimentum idoneum pene deficiens, et fortasse causa remota perstans, spem medici ludere, et remedia ejus inutilia reddere, satis superque cognita sunt.

Ad hæc constitutio militis intemperantia et longa militia nimis sæpe conficitur. Æger sæpe, quum primum affectus dolore proximo,

quem patitur, impulsus, inconscius mali inducendi, ad liquores spirituosos confugit; et etiam medico monitus, per stadia prima inflammationis hos haurit, desperatione professioni ejus peculiari, ut homo,

> "Who has set his life upon the cast,
> Resolved to stand the hazard of the die."

Ex hoc conspectu morbi, tantum cum remediis cito cedit, cum æger juvenis est et habitu sano, ubi res sinunt eum tolli ex causis; cum febris quæ adest magna ex parte ab irritatione sola inducitur, et ubi nihil proclivitatis ad typum remittentem vel typhoideum, se exhibet, morbum sanitati cessurum esse licet nobis expectare.

RATIO QUORUNDAM SYMPTOMATUM.

Tormina.—Verisimile est tunicas intestinorum magnopere excitari, et materiam acrem et biliosam, ad eas sic excitatas, subinde admotam esse.

Tenesmus et Stranguria,—Sunt effectus inflammationis, quæ, ex recto ad cervicem vesicæ extendens, dysuriam, aliaque symptomata inducit.

Prolapsus ani,—Inducitur nixu vehemente ad levamen breve quod dejectionem sequitur, obtinendum.

Dejectiones Sanguinolentæ,—Ex distentione et ruptura vasorum tunicarum intestinorum, ad initium verisimile pendent.

Scybala.—Ubi hæc adsunt, haud absimile sunt portio contentorum canalis intestinorum, in cellulis coli retenta, dum absorptio partium tenuiorum facta est.

RATIO MEDENDI.

Scientia historiæ morbi, causarum et symptomatum et varietatum parum refert, nisi modum formationi ejus obstandi ex una parte, et

methodum rationalem medendi ex alia, nobis suggerit.

In dysenteria, ac in aliis morbis, sæpe accidit quod causa non semper nobis nota est, vel hanc serius intelligimus, cum morbus jamdudum invasit. Tractatio tunc ad symptomata superanda præcipue debet institui.

Morbum in duo stadia, illud progressus ejus activi et formæ, et ratione habita, illud magis passivæ, dividere possumus.

In primo opus erit tollere et levare vim inflammationis, et signa vehementissima mitigare.

In stadio secundo, actiones sanas intestinorum inducere, stimulo idoneo bilis sanæ illis præbito, et irritabilitatem eorum minuere, adeo ut illam tolerare possent, tonum suum deficientem reficiendo, conandum est.

Ex dolore circa regionem umbilicalem, aucto sub pressu, et ingente anxietate, atque sectione priore cadaverum, inflammationem induci, vel congestionem factam esse, quæ in illam cito transire potest, dysenteria incipiente, patet. Ad sanguinis missionem, igitur, oportet confugere; quantitas pro viribus ægri, et quoque pro aliquo morbo endemicæ causae, cujus ille

antea objectus fuerit, ut typhi contagio, &c. detrahenda est.

Junioribus, habitu plethorico præditis, dysenteria correptis, sanguinem mittere omnibus auctoribus placuit. In exemplis morbi supra dictis, hæc, anxietatem tollendo, et irritabilitatem levando, summo fuit auxilio.

Purgantia,—In aprico est, si canalis intestinorum facile et plene depleri potest, solatium, nixu inefficace et perpetuo, per quem pauxillum muci vel sanguinis, aut utriusque dejicitur, sublato, statim percipi. Æger ipse hæc remedia, ut decet æstimare, discitur; parum experientia opus est, ut dejectionem sic inductam pendat. Cathartica exhibita quam minime debent stimulare; ut sales neutri, vel oleum ricini, in forma mucilaginis, &c. exhibitum. Nulla debilitas ex purgatione libera et plena oritur; contra nonnihil levaminis semper accedit, et vultus ægri gaudium exhibet.

Cum dysenteria incipit, materia biliosa et acri effusa, purgantia ad illam quæ signa gravissima excitare videtur, cito tollendam, prorsus sunt necessaria. In omnibus exemplis, quoque,

genus hepaticum magis minusve affici videtur, et fortasse in regionibus calidis vis hujus pro causa proxima ejus morbi existimari potest; hinc purgantia mercurialia, tollendo torporem ejus generis, anteponenda sunt.

Diaphoretica.—Ex consensu bene cognito, inter cutem et ventriculum intercedente, hæc imprimis utilia esse videntur, ad summovendum sensum siccum et acrem superficiei, quod plus levaminis in canali intestinorum semper sequitur. Hoc consilio, emetica quoque prodesse reperta sunt. In cœlis magis temperatis, hæc fortasse in usum veniant: quam minimum tamen irritare debent, ut pulv. ipecac. et in regionibus calidioribus fortasse prorsus omitti debent, quippe quæ irritabilitatem ventriculi difficillime cohibendum excitant, ratione sola nobis reliqua levamen præbendi, usu nempe catharticorum, &c. erepta. Medicamenta diaphoretica optima sunt, doses parvæ ipecacuanhæ, cum salibus neutris et opio conjunctæ, ut in pulv. ipecac. comp.

Opium.—In stadiis ineuntibus Dysenteriæ, hoc apud omnes rejicitur, et etiam à medicis

vetustioribus ad levamen pro tempore præbendum, tantum præceptum fuit. Hoc tamen ad initium purgatione libera felicius obtinetur. Sed in stadiis posterioribus quæ forma chronica nominentur, in qua dolor, ex partium proclivitate, imprimis ab impressionibus externis æris frigidi &c. pendere videtur, et ubi nutrimentum mite, quo opus est, nimis stimulare apparet, opium, imprimis cum submuriate Hydrargyri conjunctum remedium est præclarum.

Cinchona et Astringentia,—Post morbum magna ex parte cessatum, et ubi symptomata tantum tono imminuto, et irritabilitate aucta partium, servari videntur. Summum commodum ab infuso cinchonæ cum aliquo aromatico conjuncto, vel ex infuso cort. cascarillae cum tincturæ kino, vel catechu, expertus sum.

Hydrargyrus.—Medicamenta mercurialia a quibusdam auctoribus, qui medicinam intra tropicas fecerunt, adeo laudata reperio, ut de bonis eorum effectibus pauxillum dubii mihi existit. In India Orientali, plurimi medici, si salivationem in ægris suis Dysentericis possunt inducere,

summam spem curationis fovent. Nunquam penes fuit me, morbo ineunte, effectus ejus experiri, ut in exemplis de quibus locutus sum. In stadiis ultimis morbi, hydrargyrum sub omni forma in systema copiosissime, sed sine fructu, introduximus; nunquam efficere potuimus ut os afficeretur.

Spei magnæ tamen, ex hoc medicamento tempestive usurpato, indulgere vellem, quia in cadaveribus a me sectis, hepar semper vitiatum observavi.

Nihil de enematibus vel vesicatoriis dixi, quia, quamvis inter remedia sæpissime recensentur, procul dubio plurimo sunt incommodo, illa ob anum tumefactum et tenuem, ad initium prorsus sunt prohibenda; hæc in usum aliquando veniunt; sed ob dolorem, et igitur irritationem, inter alvum dejiciendam, inductam, commoda præbita magis quam compensant.

PROPHYLAXIS.

Nullum morbum procliviorem redire, quam Dysenteriam et sensibilitatem magnam intesti-

norum, ad impressiones externas et internas diutissime perstare, observari potest. Ut ab effectibus frigoris externis præcaveatur, vestes laneæ, præcipue circa abdomen, induendæ sunt; nec per decursum morbi oportet has negligi.

Victus haud idoneus ægrum male afficit, et igitur, sanatione incipiente, ad quantitatem et qualitatem nutrimenti ingesti sedulo attendere oportet. Hoc levissima debet esse natura, omnibus vegetabilibus difficilibus concoctu, &c. evitatis.

Hic, convalescentia incipiente, magis necessarius apparet; quia appetitus vires concoctionis semper excedit.

FINIS.